

homo factus est Deus. Est enim sensus secundum eos, cum dicitur, Deus factus est homo: Suppositum divinæ naturæ unicum est supposito humanæ naturæ: & è converso cum dicitur, Homo factus est Deus, sensus est: Suppositum humanæ naturæ est unicum filio Dei. Sed tenendo quod in Christo sit unum tantum suppositum, hæc est vera, & propria, Deus factus est homo, quia ille qui fuit Deus ab æterno, incepit esse homo ex tempore. Hæc autem non est vera proprie loquendo, Homo factus est Deus, quia suppositum æternum quod supponitur nomine hominis, semper fuit Deus: unde exponenda est sic: Homo factus est Deus; idest, factum est, ut homo sit Deus.

CAPUT XXII.

Quomodo intelligitur amotam esse à Christo imaginem primæ parentis.

Item dubium est quod dicit Athanasius in prædicta epistola, ex persona Christi loquens, Post resurrectionem amota à me imagine primæ parentis, & abolita per trophæum crucis, ego iam immortalis vos patri meo in filios adapto. Sciendum est enim, quod imaginem primæ parentis tripliciter quis potest habere. Primum quidem quantum ad similitudinem naturæ, sicut dicitur Genes. v. 3. *Vixit Adam centum triginta annis, & genuit filium ad imaginem & similitudinem suam.* Secundo quantum ad culpam, de quo dicitur I Cor. xv. 49. *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis.* Tertio secundum pænalitatem, sicut habetur Zach. xiii. 5. *Homo agricola ego sum, quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea.* Primam ergo Adæ imaginem Christus assumpsit cum nostra natura, & nunquam deposuit; secundam vero nunquam habuit; tertiam quidem assumpsit, sed in resurrectione deposuit: & de hac loquitur Athanasius.

CAPUT XXIII.

Quomodo intelligitur quod dicitur, quod creatura non potest comparari Creatori.

Item videtur esse dubium de hoc quod Athanasius in sermone Nicæni Concilii dicit: *Aut quomodo Creatori creatura cooperatur, iniment nobis.* Ex quo datur intelligi quod creatura Creatori cooperari non possit quod videtur esse falsum, cum Sancti dicantur esse Dei adiutores; & cooperatores, secundum Apostolum. Sed sciendum, quod aliquid dicitur cooperari alicui dupliciter. Uno modo quia operatur ad eundem effectum, sed per aliam virtutem, sicut minister domino, dum eius præceptis obedit, & instrumentum artificis, à quo movetur. Alio modo dicitur aliquid cooperari alicui, in quantum operatur eandem operationem cum ipso, sicut si diceretur de duobus portantibus aliquid pondus, vel de pluribus trahentibus navem, quod unum alteri cooperatur. Secundum igitur primum modum creatura potest dici Creatori cooperari quantum ad aliquos effectus, qui fiunt mediante creatura; non tamen quantum ad illos effectus qui sunt immediate à Deo, ut creatio, & sanctificatio. Secundo autem modo creatura Creatori non cooperatur, sed solum tres personæ sibi invicem cooperantur, quia earum est operatio una; non autem ita quod quilibet earum partem virtutis possideat, per quam operatio complebitur, sicut accidit in multis trahentibus navem, sic enim cujuslibet virtus esset impetec-

ta; sed ita quod tota virtus ad operationem sufficiens est in qualibet trium personarum.

CAPUT XXIV.

Quomodo intelligitur quod dicitur, creaturam Creatori non esse propriam.

Item dubium videtur esse quod Basilus dicit contra Arium, quod creatura Creatori non est propria: quod est contra id quod dicitur Joannis 1. 13. *In propria venit, & sui cum non receperunt.* Sed hoc solvit Gregorius in quadam homilia, dicens quod creatura est propria Dei secundum potestatem, aliena vero secundum naturam, idest alterius naturæ à Deo existens.

CAPUT XXV.

Quomodo intelligitur quod in Angelis quantum ad naturam, non dicimus esse secundum, & tertium.

Item dubium est quod Basilus dicit contra Eunomium: *In Angelis ordinalium dicimus unum principem, alium autem subiectum in natura, tamen non dicimus secundum, & tertium.* Ex quo videtur quod omnes in natura sunt æquales à Deo creati, ut posuit Origenes. Apud nos autem dicitur, quod sicut differunt in donis gratiarum, ita etiam in naturalibus bonis. Sed dicendum, quod hoc quod dicit Basilus, in Angelis non esse quantum ad naturam secundum, & tertium, non est intelligendum, quod unus non sit perfectior naturæ quam alius, sed quia omnes communicant in una natura generis, licet non in natura speciei.

CAPUT XXVI.

Quomodo intelligitur quod dicitur, quod docente Paulo etiam Seraphim addiscit.

Item dubium est quod dicit Cyrillus in Libro Theosorum, quod docente Paulo non solum humana ratio addiscit, verum etiam & Seraphim superioris mysteria cordis paterni occulta reserantur. Ex quo videtur, quod ad Angelos etiam summos cognitio deveniat per homines. Et videtur hoc esse dictum proprie id quod habetur Ephes. iiii. 8. *Mihi omnium Sanctorum, minimo data est gratia hæc, in genibus evangelizare investigabiles divitias Christi &c. ut innoscat Principibus, & Potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Sed contrarium hujus docet Dionysius in iv. cap. angelicæ Hierarchie, ostendens quod cognitio divinorum prius ad angelos quam ad homines pervenit: & in vii. cap. eiusdem Libri dicit, quod Seraphim immediate à Deo edocentur. Et Augustinus dicit super Genesim ad litteram, quod non lauit Angelos mysterium regni celorum, quod opportuno tempore revelatum est pro nostra salute. Et ideo dicendum est, quod cum Angelorum non sit futura prenoscere, sed Dei solius, licet Angeli ipsum mysterium nostræ redemptionis à sæculo cognoverint, ut Augustinus dicit, tamen aliorum hujus redemptionis circumstantias plene nesciverunt quantum erant future, sed eis completis, eorum notitiam acceperunt, sicut & aliorum que presentialiter fiunt. Non ergo sic intelligendum est quod docente Paulo mysteria divina superius Seraphim sint revelata, quasi ipsi à Paulo didicerint; sed quia Paulo predicante,

& aliis Apostolis, perficiebantur ea que presentialiter Angeli cognoscebant, & futura ignoraverant. Et hoc sonant verba dicentis, angelicas dignitates presantum mysterium ad purum non intellexisse, donec completa est passio Christi, & Apostolorum predicatio per gentes dilatata.

CAPUT XXVII.

Quomodo intelligitur cum dicitur, quod spiramen quod inspiravit Deus in faciem hominis, non est anima rationalis, sed sancti spiritus effusio.

Item dubium est quod Cyrillus dicit, quod cum dicitur Genes. 11. 7. quod *Inspiravit Deus in faciem hominis spiraculum vite, ut fieret homo in animam viventem*, ipsum spiramen non dicimus animam: sic enim esset anima inconvertibilis, & non peccator, quia de essentia esset divina: sed sancti spiritus effusionem in ipso principio suppositam anime humanæ dixit Moyses: quod est contra expositionem Augustini, qui animam humanam per illud spiramen ponit, & ostendit quod non propter hoc sequitur quod sit de substantia divina: est enim tropica locutio, ut dicitur inspirasse non corporaliter, sed quia spiritum, idest animam, fecit ex nihilo. Et quod est amplius, videtur esse repugnans dictis Apostoli, qui I. ad Corinth. xv. 55. dicit: *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem: sed non prius quod spirituale est, sed quod animalis.* Ubi expresse illam vitam animæ dicit esse aliam à vita que est per Spiritum Sanctum: unde illa inspiratio per quam dicitur homo factus in animam viventem, non potest de gratia Spiritus Sancti intelligi. Unde dicendum est, quod expositio Cyrilli non potest esse literalis, sed solum allegorica.

CAPUT XXVIII.

Quomodo intelligitur quod eum qui semel blasphemavit, impossibile est non blasphemare.

Item dubium potest esse de hoc quod Athanasius dicit in epistola ad Serapionem, quod Arianos qui non semel tantum, sed pluries blasphemarunt, impossibile est non blasphemare: quod videtur esse liberati arbitrii repugnans. Sed dicendum, quod impossibile hoc pro diffugili sumitur, que difficultas ex consuetudine provenit, sicut & Hier. xiii. 23. dicitur: *Si mutare potest Aethiops pellem suam, & pardus varietates suas, & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum.*

CAPUT XXIX.

Quomodo intelligitur quod dicitur, quod fides non sit prædicabilis.

Item dubium est quod Chrysostomus dicit in sermone de fide, quod fides est non prædicabilis. Sed intelligendum est, idest per prædicationem non perfecte explicabilis.

CAPUT XXX.

Quomodo intelligitur quod dicitur, quod fides non sit nobis ministrata per Angelos.

Item dubium est de hoc quod Athanasius dicit, quod fides nobis ministrata est non ab Angelis,

(1) Vulgata ad suam ipsorum perditionem.

neque à signis, & potentis; cum dicitur Hebr. 11. 4. quod fides annuntiata est *contestante Deo signis, & portentis.* Sed intelligendum est, quod fides nostra non habet auctoritatem neque ab Angelis, neque ab aliquibus miraculis factis, sed à revelatione patris per filium, & Spiritum Sanctum; licet etiam Angeli ea que sunt fidei nostre, revelaverint aliquibus ut Zacharia, & Maria; & etiam Joseph, & etiam ad fidei robur miracula plurima facta sint.

CAPUT XXXI.

Quomodo intelligitur quod dicitur littera mortalis etiam novi testamenti.

Item dubium esse videtur quod Athanasius dicit in epistola ad Serapionem: *Littera mortalis hæc est: Ab initio & ante sæcula creata sum &c.* & subjungit multa testimonia de veteri, & de novo testamento. Littera autem nove legis non videtur esse littera mortis: sic enim non differret à littera veteris legis, de qua dicitur II. Cor. 111. 6. *quod littera occidit.* Sed dicendum, quod neque littera novi testamenti, neque veteris occidit nisi per occasionem. Sed occasionem mortis ex litteris accipiunt aliqui dupliciter. Uno modo in quantum ex littera sacra accipiunt occasionem erroris; & hoc commune est iam litteræ veteris testamenti, quam novi: unde & Petrus dicit II. canonice ult. 16. quod in epistolis Pauli sunt quedam difficilia intellecta, que indocti, & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, (1) ad suam damnationem. Alio modo in quantum ex præceptis in littera sacre Scripturæ contentis sumitur occasio male vivendi, dum per prohibitionem concupiscentia augetur, & gratia adjuvans non conferitur; & sic littera veteris testamenti dicitur mortalis, non autem littera novi.

CAPUT XXXII.

Quomodo intelligitur quod sola definitio Nicæni Concilii est unica, & vera possessio fidelium.

Item dubium est de hoc quod dicit Athanasius in eadem epistola, quod sola paterna definitio Nicæni Concilii, enuntiat a spiritu, & non littera, est unica, & vera possessio Orthodoxorum. Posset enim aliquis intelligere, quod definitio dicti Concilii, auctoritate præferatur litteræ veteris, vel novi testamenti; quod est omnino falsum. Intelligendum est autem, quod per dictum Concilium verus intellectus ex sacra Scriptura est acceptus, quem soli Catholici habent, licet littera sacre Scripturæ sit communis Catholicis, & Hæreticis, & Judæis.

His igitur expositis, ostendendum est quomodo ex auctoritatibus in prædicto libello contentis vera fides docetur, & contra errores defenditur.

Considerandum siquidem est, quod in hoc apparuit filius Dei, ut dissolvantur opera diaboli, ut dicitur I. Joann. 111. 8. unde & diabolus versa vice ad hoc rotum suum conatum apposuit, & apponit ut ea que sunt Christi, dissolvat. Quod quidem primo per tyrannos facere tentavit, Christi ministros corporaliter occidentes; sed postmodum per hæreticos, per quos spiritualiter plurimos interfecit. Unde si quis diligenter inspicat hæreticorum errores, ad hoc principaliter videntur tendere, ut Christi derogent dignitati. Derogavit namque Arius dignitati Christi, dum filium

zantur. Hinc est quod Athanasius dicit in epistola ad Serapionem: „Filius Dei illuminando nos præveni-
ens, & iustificando in fide corroborans, & Scrip-
turas reserando donis suæ sapientiæ nos replens,
non in alieno, & non suo spiritu dona concedit, re-
mittens peccata, & charismatibus nos imbuens, sed
potius in suo proprio Spiritu Sancto. „Cyrillus
etiam dicit in sermone dogmatur Dei, quod „filius
proprius habet in se essentialiter Spiritum Sanc-
tum, & ex se naturaliter missum, in quo operatur
divina miracula, tamquam in propria & vera sua
virtute. „Ex hoc autem quod filius operatur per
Spiritum Sanctum, de necessitate concluditur quod
Spiritus Sanctus sit à filio. Potest enim dici aliquis
per aliquod operari dupliciter. Uno modo ex eo quod
id per quod operatur, est sibi principium, & causa
operandi, sive efficiens, & movens, sicut dicitur ba-
balivus operari per Regem; sive causa formalis, sicut
dicitur homo per artem operari. Alio modo ita quod
id per quod operatur, sit causa operato, & non ope-
ranti, sicut cum dicitur Rex operari per balivum, &
artifex operari per instrumentum: & tunc oportet
quod è contrario operans sit principium operandi ei
per quod operatur, sicut Rex balivo, & artifex instru-
mento. Cum autem dicitur filius per Spiritum Sanc-
tum operari, non potest intelligi quod Spiritus Sanctus
sit principium operandi filio, quia filius à Spiritu
Sancto non accipit. Relinquitur ergo quod filius
sit principium operandi Spiritu Sancto: quod quidem
esse non potest nisi per hoc quod dat ei virtutem ope-
rativam. Non autem dat ei tamquam prius non ha-
benti: sic enim daret ei tamquam indigenti, & seque-
retur quod Spiritus Sanctus esset filio minor. Relin-
quitur ergo quod ab æterno ei dederit. Nec est aliud
virtus operativa Spiritus Sancti quam ejus essentia,
cum Spiritus Sanctus sit simplex, sicut & pater. Relin-
quitur ergo quod ab æterno filius essentiam divi-
nam Spiritu Sancto dederit. Et hoc expresse ostendit
Athanasius in epistola ad Serapionem dicens: *Sicut
pater per filium, & in filio à se deoriginato naturaliter
operatur, & non è converso; ita & filius in Spiritu
Sancto à se deoriginato naturaliter operatur tamquam
in sua propria virtute, & non è converso.*

Quod Spiritus Sanctus sit imago filii.

Habetur etiam ex auctoritate sacre Scripturæ
quod Spiritus Sanctus sit imago filii, secundum
expositionem Doctorum Græcorum, ut supra habi-
tum est: qui hoc quod dicitur Rom. VII. 29. *Quos
præcavit conformes fieri imaginis filii sui &c.* & ite-
rum I. Corinth. xv. 49. *Sicut portavimus imaginem
terreni, portemus & imaginem celestis*, exponitur per
imaginem Spiritum Sanctum, imaginem filii Spiritum
Sanctum esse dicentes. Hinc est quod Athanasius dicit
in epistola ad Serapionem, ex persona filii Dei lo-
quens: *Accipite ipsam imaginem meam Spiritum Sanc-
tum scientie: & Gregorius Cesariensis dicit: Spiritus
Sanctus est imago filii perfecti.* Constat autem quod
imago deducitur ab eo cuius est imago. Ex hoc ergo
quod Spiritus Sanctus est imago filii, sequitur quod
Spiritus Sanctus sit à filio.

Posset autem aliquis dicere, quod est imago filii,
inquantum assimilatur filio secundum aliquem effec-
tum quem facit, sicut & filius; vel quia est à patre,
sicut & filius. Sed hoc excluditur per auctoritates
Sanctorum, qui Spiritum Sanctum naturalem imagi-
nem filii esse dicunt. Non enim potest dici imago na-
turalis filii Spiritus Sanctus, nisi inquantum secun-

dum naturam filio similatur, accipiens à filio naturam.
Semper enim oportet quod forma imaginis proveniat
à forma ejus cuius est imago. Hinc est quod Athana-
sius in prædicta epistola dicit: „*Quemadmodum
consubstantiavit se Deus Ecclesie, formam ejus in
se assumens; ita ipsam eandem suam imaginem natu-
rali, scilicet Spiritu Sancto de sua essentia natu-
raliter existente, deificæ, & superabunde insigni-
vit: & Cyrillus dicit in Libro Thesaurorum: „
Qui accipit filii imaginem naturalem, hoc est Spiritu
Sanctum, habet veraciter per ipsum Spiritum
eundem filium, & filii parrem. Quomodo ergo con-
numerabitur creaturis Spiritus Sanctus, cum sit na-
turalis, & incommutabilis imago filii Dei? „ Item
Basilus dicit contra Eunomium: *Naturalis filii imago
est spiramen ejus spiritus.**

Quod est character filii.

Secundum vero eandem rationem dicunt prædicti
Doctores, quod Spiritus Sanctus sit character
filii. Dicit enim Athanasius in præfata epistola, quod
filius Spiritum Sanctum tamquam characterem, & suam
imaginem ad reformandam Ecclesiam, & sibi deificæ
conformandam transfundendo impressit: & Basilus dicit
in Libro contra Arium, & Sabellium: *Sicut filius
acquisit nos patri, ex patre idem ipse; sic &
spiritus acquirit nos filio per fidem, imprimens nobis
characterem filii in baptisate, à quo filio existit, &
ejus spiritus, & character predicatur verus.*

Item quod est sigillum filii.

Similiter etiam dicunt, quod Spiritus Sanctus sit
sigillum filii. Dicit enim Athanasius in prædicta
epistola: „*Equidem Spiritus Sanctus est unctio, &
sigillum impressivum imaginis in se habite: in quo
spiritu vere tamquam in suo sigillo, id est imagine
sue nature, consignat, & characterizat imprimen-
do ipsam suam imaginem Deum verbum Ecclesie
sponse sue: & infra: „Christus in suo proprio
spiritu ungit, & superungit, & eo tamquam suo si-
gillo continente ipsius essentiam se imprimit Ecce-
lesie sue sponse: & Chrysostomus dicit super epis-
tola ad Romanos: „Si spiritus est character, & si-
gillum Christi, qui non habet sigillum, & charac-
terem Christi, hic non est ipsius Christi. „ Constat
autem quod character, & sigillum derivantur ab eo
cujus sunt. Unde per auctoritates Doctorum dicto-
rum aperte ostenditur, quod Spiritus Sanctus à filio
derivatur. Horum autem Doctorum auctoritates etiam
ex auctoritate sacre Scripturæ confirmantur. Dicitur
enim II. Corinth. I. 21. *Unxit nos Deus, & signavit
nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris: quod
quidem de patre, & filio intelligi oportet: cum uter-
que Spiritum Sanctum det ut ostensum est: & ad
Ephes. I. 13. In quo, scilicet Christo, credentes sig-
nati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæ-
reditatis nostre.**

Item quod Spiritus Sanctus est à patre per filium.

Traditur etiam à prædictis Græcorum Doctoribus,
quod Spiritus Sanctus est à patre per filium. Di-
cit enim Cyrillus in Libro Thesaurorum: „*Deus pa-
ter per manum suam propriam, id est suam sapien-
tiam, & potentiam, cuncta produxit in esse in uno
suo vero, & vivifico, atque deifico consensuali sibi
spiritu, quem de se essentialiter per eundem filium*

naturaliter coæternum spiravit: „ & Basilus dicit:
„*Non est filius filii spiritus, quia est ex Deo, scilicet
patre per filium: & idem dicit contra Eunomium
„Si ex verbo tuo, & qui inimicis veritati, ex pro-
prio intellectu tuo spiritum producat, aerem per
verbum verberans; unde ejusdem essentia Spiritum
Sanctum à patre per verbum unigenitum dubitas
provenire? & infra: „Ex patre se ipsum filius no-
minat verbum, & ex patre per se verbum spiritum
nobis indubitanter affirmavit. „ Ex hoc autem ostenditur
de necessitate quod Spiritus Sanctus sit à filio. Dicitur enim supra, quod cum dicitur aliquis
per aliquid operari, oportet quod sit principium ope-
randi ipsi operanti, vel saltem sit principium ope-
rationis ex parte ejus ad quod terminatur operatio. Fi-
lius autem non potest esse principium spirandi patri.
Unde si pater per filium Spiritum Sanctum spirat, de
necessitate sequitur quod filius sit principium Spiritu
Sancti. Idem autem habetur ex eo quod Gregorius
Nyssenus dicit: *Spiritus Sanctum ex patre esse
mediante filio tenemus.* Sic enim dicitur Spiritus Sanctus
esse à patre, mediante filio, sicut & à patre per
filium, inquantum pater est principium filii, & filius
principium Spiritus Sancti.*

Quod Spiritus Sanctus sit à filio.

SED jam accedere oportet ad ponendum auctoritates
Doctorum Græcorum, ex quibus habetur ex-
presse quod Spiritus Sanctus sit à filio. Dicit enim
Athanasius in epistola ad Serapionem: *Christus de suo
spiritu dixit: Non loquetur à semetipso, sed quæ-
cumque audiet, loquetur, id est, non est ut sit imprin-
cipatus spiritus, quod est solius patris; sed maxime
& proprie est ab ipso filio, à quo & accipit ut sit Deus
essentialiter, ab eo etiam audit quæ & loquitur.* Et Basilius
dicit contra Arium, & Sabellium: *Quomodo ad-
optat in filio Spiritus Sanctus, si alienus est à patre, &
filio? Quomodo inhabitat extraneus in illis quos Christus
redimit, si non est à Christo?*

Quod simul est à patre, & filio.

NE autem aliquis dicat aliter esse Spiritum Sanc-
tum à patre, & aliter à filio, simul ab utroque à
prædictis Doctoribus esse asseritur. Dicit enim Epi-
phanus in Libro de Trinitate: *Deus ex Deo patre, &
filio est Spiritus Sanctus.*

Quod est ab utroque ab æterno.

Sivero dicat aliquis, quod Spiritus Sanctus esse à
patre, & filio dicitur, tamquam ab eis tempo-
raliter datus, & missus, & non ab æterno ab eis exis-
tens, per sequentia ostenditur esse falsum. Dicit enim
idem Epiphanius in Lib. de vestibus pellicinis Adæ,
& Evæ: *Sicut dicit Christus, Spiritus veritatis qui à
patre procedit, ita & de modo accipit. Recce ex
ambobus duorum semper spiritus existit. Idem dicit in
sermone de incarnatione verbi: Pater siquidem erat
semper, & filius erat semper, & Spiritus Sanctus à
patre, & filio erat semper. Est ergo æternaliter ab
utroque.*

Quod Spiritus Sanctus sit persona de personis.

Item ex auctoritatibus prædictorum Doctorum ha-
betur quod Spiritus Sanctus sit persona de perso-
nis patris, & filii. Dicit enim Athanasius in sermone
Nicanæ Concilii: *Dum mater Ecclesie, hoc congregata
adventores hujus hereses, scilicet Arianorum,
& Spiritum Sanctum increatum, Deum verum, hypostasi-
tam de patris & filii hypostasis, eisdem consensu-
talem confiteatur: & Epiphanius in Lib. Anachoriti,
Spiritus Sanctus in se est hypostasis vera, non alia à
patre, & filio essentia, nec aliena, sed ejusdem essen-
tiæ veraciter existens; hypostasis vero per se ex hypo-
stasibus patris, & filii. Non ergo solum est à patre, &
filio secundum donum gratiæ, in quo datur, vel mit-
titur, sed ratione suæ personæ. Est ergo à patre, &
filio ab æterno.*

Item quod sit ex essentia patris, & filii.

Item ex auctoritatibus prædictorum habetur, quod
sit ex essentia patris, & filii. Dicit enim Athana-
sius in sermone Nicanæ Concilii: „*In Spiritu Sancto
omnium peccatorum, & omnis blasphemie sit remis-
sio, qui, ut dictum est, de essentia existens patris, &
filii, eorum habet virtutem, cuncta per omnia cum
eisdem & disponens, & creans: „ item in epistola ad
Serapionem dicit: „Christus de sua, & patris com-
muni essentia sempiternaliter existentem Spiritum
Sanctum spiravit: „ & infra: „Christus in suo pro-
prio Spiritu Sancto, de sua, ut supra dictum est,
„usia existente, omnia nobis condonat: „ & in ead-
em epistola: „Ab una & eadem Deitate patris, &
filii de filio existens Spiritus Sanctus, unus est: „
„filius, „*

Item quod sit naturaliter à filio.

Item habetur quod sit naturaliter à filio. Dicit enim
Cyrillus: *Quis est vita? Ille equidem qui dixit
Christus: Ego sum vita, veritas, & vita: tamquam in
ipso veraciter, & de ipso naturalis spiritus ejus exis-
tens spiritalem legem ponit. Ex quibus omnibus ha-
betur quod Spiritus Sanctus non tantum est à filio si-
cut temporaliter datus, vel missus, sed sicut ab æter-
no ab eo procedens, utpote essentiam, & naturam
ab ipso accipiens. Hoc etiam haberi potest ex ipso mo-
do loquendi: quia prædicti Doctores non solum di-
cunt, quod Spiritus Sanctus est à filio, quod posset
referri ad temporalem missionem; sed etiam quod à
filio existit, quod non potest referri nisi ad æternam
processionem: existit enim unumquodque secundum
quod in se est. Dicit enim Cyrillus Hierosolymitanus
Patriarcha: *Spiritus Sanctus à patre procedit, & ex
Deitate patris, & filii existit.* Basilus etiam dicit
contra Eunomium: *Spiritus Sanctus à filio habet exis-
tere, & ab ipso accipere, & annuntiare nobis.**

Item quod filius spirat Spiritum Sanctum.

Uterius autem habetur ex auctoritatibus prædic-
torum expresse quod filius spirat Spiritum Sanc-
tum. Dicit enim Athanasius in epistola ad Serapio-
nem: *Filius de patre genitus de sua immensa essentia non
extra se, sed intra se immensum Deum spirat Spiritum
Sanctum.* Item Cyrillus dicit in exhortatorio sermone
ad Theodosium Imperatorem: *Salvator de se ipso pro-
ducit spiritum, & spirat sicut ipse pater.*

(1) An delenda vox filius?

Dei coessentialia patri esse negavit, eum asserens creaturam. Derogavit etiam Macedonius, qui dum Spiritum Sanctum creaturam esse dixit, filio subtraxit auctoritatem spirandi divinam personam. Derogavit & Manichæus, qui dum visibilia à malo deo creata esse asseruit, per filium omnia esse creata negavit. Dissolvit etiam quæ sunt Christi, Nestorius, qui dum aliam personam esse filii hominis, aliam filii Dei docuit, Christum esse aliquid unum negavit. Dissolvit & Eutyches, qui dum ex duobus naturis, divina scilicet, & humana, in Christi incarnatione unam conficere voluit, utramque subtraxit: quod enim ex duobus conficitur, neutrum eorum veraciter dici potest. Dissolvit & Pelagius, qui dicens gratia nos non indigere ad capessendam salutem, adventum filii Dei in carnem frustravit: gratia enim, & veritas per Jesum Christum facta est: Joan. 1. 17. Derogavit etiam Christo Jovinianus, qui dum virgines in conjugio viventibus æquavit, dignitatem Christi detraxit, quæ eum natum ex virgine confiteretur. Derogavit & Vigilantius, qui dum paupertatem pro Christo servatam impugnavit, perfectionem, quam Christus servavit, & docuit, contraxit: unde non immerito dicitur I. Joann. 1v. 3. Omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est antichristus. Sic ergo & in hoc tempore aliqui esse dicuntur qui solvere Christum tentant, ejus dignitatem, quantum in ipsis est, minuunt. Dum enim dicunt Spiritum Sanctum à filio non procedere, ejus dignitatem minuunt, quæ simul cum patre est Spiritus Sancti spirator. Dum vero unum caput Ecclesie esse negant, sanctum scilicet Romanam Ecclesiam, manifeste unitatem corporis mystici dissolvunt: non enim potest esse unum corpus, si non fuerit unum caput; neque data congregatio, si non fuerit unus rector: unde Joan. x. 16. dicitur: Fiat unus ovile, & unus pastor. Dum vero sacramentum altaris ex azymis posse confici negant, manifeste ipsi Christo repugnant, quem prima die azymorum, quando nihil fermentatum secundum legem debebat in Jæzorum domibus inventi, Evangelistæ tradidit hoc sacramentum instituisse. Videntur etiam puritati ipsius sacramentalis corporis Christi derogare, ad quam Apostolus fideles exhortatur dicens I. ad Cor. v. 8. quod non est epularium in sermone malitiæ, & nequitie, sed in azymis sinceritatis, & veritatis. Hujus etiam sacramenti virtutem minuunt, dum purgatorium negant, quod in Ecclesia communiter pro vivis, & mortuis consecratur, cum purgatorio sublato in mortuis nullam efficaciam possit habere. Non enim prodest his qui sunt in inferno; ubi nulla est redemptio, neque illis qui sunt in gloria; qui suffragiis nostris non egent. Quomodo igitur ex præmissis auctoritatibus errores hujusmodi confitentur, breviter ostendam, incipiens prius à processione Spiritus Sancti.

Quod Spiritus Sanctus est spiritus filii.

Ad ostendendum autem quod Spiritus Sanctus à patre procedat, & filio, primo sumendum est quod etiam ab ipsis errantibus negari non potest, cum expresse auctoritate sacre Scripturæ probetur, quod scilicet Spiritus Sanctus sit spiritus filii. Dicitur enim ad Galat. 1v. 6. Quoniam autem estis filii Dei, misit Deus spiritum filii sui in corda vestra clamantem, Abba, pater: & Rom. viii. 9. Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus: & Actuum xvi. 7. Cum venisset Misiã, tentabant ire in Bithiniam: & non permisit eos spiritus Jesu. Dicitur etiam I. Corinth. 11. 16. Nos autem sensum Christi habemus; quod de

Spiritu Sancto necesse est intelligi, ut pater per ea quæ ab Apostolo præmittuntur. Nominatur etiam Spiritus Sanctus, spiritus veritatis, Joann. xv. 26. ubi dicitur: Cum venerit paraclytus, quem mittam vobis à patre, spiritum veritatis. Dicitur & spiritus vitæ, Rom. viii. 2. Lex spiritus vitæ in Christo Jesu: unde cum filius de se dicat Joann. xiv. 6. Ego sum via, veritas, & vita: concludunt Doctores Græcorum, quod sit spiritus Christi; quod similiter adstruunt ex hoc quod habetur in Psalm. xxxiii. 6. Verbo Domini celi firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Nam os patris filius dicitur, sicut & verbum.

Sed ne aliquis possit dicere, quod alius sit spiritus qui à patre procedit, & alius qui est filii, ostenditur ex Scripturis, quod idem spiritus scilicet sit pater, & filii. Nam Joann. xv. Simul dicitur spiritus veritatis, & qui à patre procedit: & Rom. viii. Postquam dixerat, Si spiritus Dei habitat in vobis, statim subjungit: Si quis spiritum Christi non habet, ut ostendat eundem esse spiritum patris, & filii. Unde Basiliius dicit contra Eunomium, postquam prædicit verba Apostoli indixerat: Bece in patre, & filio, & spiritus patris, & filii, & unum spiritum videt, scilicet Apostolus; & Theodoritus dicit super epistolam ad Rom. exponens idem verbum Apostoli: Communis est pater, & filii Spiritus Sanctus.

Querendum est ergo, quomodo Spiritus Sanctus sit spiritus filii, vel spiritus Christi.

Potest autem aliquis dicere, quod sit spiritus Christi quasi in homine Christo plenarie inhabitans, secundum illud Luc. 1v. 17. Jesus plenus Spiritu Sancto regressus est à Jordane: de cuius plenitudine nos omnes accepimus, ut dicitur Joann. 1. 16. Hæc autem responsio suscipi non potest, ut scilicet hæc tantum ratione Spiritus Sancti spiritus Christi dicatur. Invenitur enim à Doctores Græcorum, quod Spiritus Sanctus sit naturalis spiritus filii. Dicit enim Athanasius in sermone 111. Nicæni Concilii: Sicut in Christo videtur nostra natura desicce, & ipse in ea regnare, ita & nos in suo naturali spiritu simus, vivamus, & regnemus; idem in epistola ad Serapionem: Accepimus spiritum adoptionis, id est naturalem spiritum de natura filii naturalis: & Cyrillus dicit super Joannem 6. Existit siquidem filius in proprio genitore; habens in se ipsum signentem se. Et sic patris spiritus veraciter, & naturaliter filii videtur, & est spiritus. Spiritus autem non est naturalis Christo secundum humanitatem, quia non pertinet ad naturam humanitatis, sed gratiâ à Deo in naturam humanitatis effunditur. Non ergo potest propriè hoc dici spiritus filii, quia Christum excellenter replevit secundum humanitatem. Item Athanasius dicit in sermone de incarnatione verbi, quod ipse Christus mittebat spiritum & sursum sicut Deus filius, & ipse deorsum accipiebat spiritum ut homo. Ex ipso ergo in ipsum habitat de Deitate ejus, & humanitate ejusdem. Non solum ergo Spiritus Sanctus est spiritus Christi, quia humanitatem ejus replevit, sed magis quia est ex Divinitate ipsius.

Potest autem aliquis dicere, quod Spiritus Sanctus est filii secundum Deitatem, sicut à filio Dei datus, & missus, non autem sicut à filio personaliter, & æternaliter existens. Sed hoc etiam stare non potest. Dicit enim Cyrillus super Joannem: Proprius est Spiritus Sanctus Dei patris, sed non est minus ipsius Dei filii, non tamquam alius & alius spiritus. Idem dicit in exhortatorio sermone ad Theodosium Imperatorem: Spiritus Sanctus, sicut est proprius patris, à quo procedit, sic & in veritate est ipsius filii. Si ergo

pater est, non solum quia ab ipso temporaliter datur, & mittitur, sed etiam quia ab ipso æternaliter existit; eadem enim ratione & filii erit, quasi ab eo æternaliter existens. Item Cyrillus dicit super Joann. Veracissimus fructus essentia ipsius filii existit. Spiritus Sanctus. Est ergo filii quasi à filio essentialiter habens. Pater ergo quod ex hoc quod Spiritum Sanctum spiritum Christi confiteretur, necesse est quod ulterius dicant eum esse à filio ab æterno.

Quod filius mittit Spiritum Sanctum.

Similiter autem patet ex auctoritate sacre Scripturæ quod filius mittit Spiritum Sanctum. Dicitur enim Joann. xv. 26. Cum venerit paraclytus, quem ego mittam vobis &c. & xvi. 7. Si enim non aïero, paraclytus non venit ad vos. Habetur etiam ex auctoritate Scripturæ quod pater dat Spiritum Sanctum, Joann. xvi. 16. Ego rogabo patrem, & alium paraclytum dabit vobis. Sed & filius dicit eundem Spiritum Sanctum, dicitur Joannis xv. 22. quod post resurrectionem Dominus discipulis insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: quod & Athanasius confiteretur in sermone Nicæni Concilii, dicens ex persona filii: Quomodo erunt consummati ipsi, nisi ego verbum tuum consummum, id est perfectum assumam, & perficiam in me hominem, & eis mihi æqualem per omnia mihi cooperaveram donem Spiritum Sanctum? In idem in epistola ad Serapionem: Hunc Spiritum Sanctum à filio te recepisse credo, o sancte sacerdos. Dicit autem idem Athanasius in eadem epistola: Hic est ordo nature divine à patre, & filio, ut qui à nullo est, à nullo mittatur; & qui est ab alio, in nomine suo non veniat, sed in nomine illius à quo existit. Ita & Spiritus Sanctus, qui à se non est, à se venire non debuit, sed in nomine illius à quo est, & à quo habet ut hypostasis sit Deus, quemadmodum de eo dicit filius: Paraclytus Spiritus Sanctus, quem mittet pater in nomine meo. Patet ergo quod ex hoc quod Spiritus Sanctus mittitur à filio, sequitur quod à filio existat æternaliter, & ab eo habeat quod sit Deus: Item Nicæta dicit super Joann. v. Non alia proprietate pater mittit spiritum, qua proprietate non mittit filius; vel aliqua alia proprietate filius mittit Spiritum Sanctum, qua non mittit & pater. Ex quo patet quod eadem proprietate, & ratione pater mittit Spiritum Sanctum, quasi ab ipso æternaliter existente, & similiter filius Spiritum Sanctum mittit quasi de se æternaliter existente. Item Athanasius dicit in sermone Nicæni Concilii, ex persona filii loquens: Sicut me perfectum genuisti Deum, & perfectum me fecisti assumere hominem; sic ex te, & ex mea essentia da vis perfectum Spiritum Sanctum. Idem dicit in epistola ad Serapionem: Sicut in filio Dei nostra sibi unia manet natura, quam de nobis assumpsit; ita & ipse manet in nobis per suum spiritum coessentialiter sibi, quem de sua essentia essentialiter spirat, & donat nobis. Idem dicit in sermone de incarnatione verbi, quod datus est Spiritus Sanctus discipulis de plenitudine Deitatis. Item Nicæta super Joannem dicit: Filius Spiritum Sanctum de se dat ut pater. Ex quibus omnibus accipitur quod non solum sic dicitur spiritus à filio dari, vel mitti, inquantum donum gratiæ, per quod Spiritus Sanctus non inhabitat, est à filio, sed inquantum ipse Spiritus Sanctus est à filio. Impossibile est enim quod donum gratiæ, cum sit quoddam creatum, sit ex essentia filii; sed Spiritus Sanctus coessentialis est filio: quare de essentia filii dari potest, vel mitti. Item à nullo potest dari nisi quod

ejus est. Spiritus ergo Sanctus datur ab eo cuius est, sicut habetur I. Joann. 1v. 13. In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quia de spiritu suo dedit nobis. Si ergo filius mittit, vel dat Spiritum Sanctum, oportet quod sit spiritus ejus. Ex hoc autem quod est spiritus ejus, sequitur quod ab eo sit æternaliter, ut ostensum est. Ex hoc ergo quod filius mittit, vel dat Spiritum Sanctum, sequitur quod ab eo similiter æternaliter existat.

Quod Spiritus Sanctus accipit de eo quod est filii.

Uterius autem ex auctoritate sacre Scripturæ habetur quod Spiritus Sanctus accipiat de eo quod est filii. Dicitur enim Joann. xvi. 14. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Potest autem aliquis dicere, quod licet Spiritus Sanctus accipiat id quod est filii, non tamen accipit à filio: accipit enim essentiam patris à patre, quæ quidem essentia est etiam filii: & pro tanto dicit filius, quod de meo accipiet: quod videtur innumi ex consequentibus Domini verbis: subdit enim, quasi se exponens: Omnia quæcumque habet pater, mea sunt: propterea dixi vobis, quia de meo accipiet. Sed ex hac Domini expositione de necessitate concluditur, quod Spiritus Sanctus à filio accipiat. Si enim omnia quæ sunt patris, sunt etiam filii, oportet quod auctoritas patris, secundum quam est principium Spiritus Sancti, sit etiam filii. Sicut ergo Spiritus Sanctus accipit de eo quod est patris, à patre, ita accipit de eo quod est filii, à filio: hinc est quod Athanasius dicit in epistola ad Serapionem: De sua propria essentia Spiritum Sanctum existentem Deum de se essentialiter suis Apostolis, & sue spem Ecclesie demonstrando Christus affirmavit, sic dicens: De meo accipiet; id est de mea essentia habet ut sit Deus; sic de me habet esse, & loqui. Item Athanasius in sermone Nicæni Concilii: Spiritus Sanctus quidquid habet, habet à verbo Dei: & in epistola ad Serapionem dicit: Spiritus Sanctus est coessentialis filio, à quo habet omnia quæcumque habet: item in eadem epistola: Filius ait: Ille, scilicet Spiritus Sanctus, me clarificabit; id est in se meam, ut habet à me, Deitatem me gloriosum Deum demonstrabit, sicut & ego glorifico patrem meum, id est sicut in me ab ipso ejus habeo Deitatem. Et Basiliius contra Eunomiam dicit: Denominatio à patre transit in filium, ut de Deo patre sit Deus filius, ex Domino Dominus, ex omnipotente omnipotens, ex sapiente sapientia, ex summo loquente verbum, ex virtute virtus: verus filius denominationis patris habet in se. Ita etiam & Spiritus Sanctus est Dominus, & Deus, omnipotens, sapiens, virtus naturaliter suam esse habet à Domino Deo patre, & filio, à quo est, & datur. Patet autem quod per hoc quod filius habet Deitatem, & quidquid habet, à patre, æternaliter est à patre. Spiritus ergo Sanctus æternaliter est à patre, & filio, sicut ab eis accipiens Deitatem, & quidquid habet.

Quod filius operatur per Spiritum Sanctum.

Habetur & ex auctoritate sacre Scripturæ quod filius operetur in Spiritu Sancto, vel per Spiritum Sanctum. Dicit enim Apostolus Rom. xv. 18. Non enim audeo aliquid loqui coram vobis per me, non efficit Christus in obedientiam gentium, verbo, & factis, in virtute signorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti: & I. Corinth. 11. 10. Nobis revelavit Deus per spiritum suum. Est autem spiritus patris, & filii. Patet ergo, & filius per Spiritum Sanctum revelando ope-

Quod hoc quod spirat ex sua proprietate habet filius.

Nautem aliquis dicat, quod filius non proprie spirat Spiritum Sanctum, nominatur à prædictis Doctoribus filius Spiritus Sancti spirator, tamquam sit ex sua proprietate habens quod Spiritum Sanctum spirat. Dicit enim Athanasius in epistola ad Serapionem: *Hæretici ipsum filium spiratorem veri spiritus paraclyti blasphemant, & negant: & in eadem epistola: Qui blasphemant in spiritum spiratum, blasphemant eundem in spiratorem ejus, id est in ipsum filium, & per filium blasphemant in genitorem ejus.* Item Basilus dicit contra Eunomium: *Filium Spiritus Sancti spiratorem, & datorem sine aliquo dubio credimus.*

Quod eadem ratione spiratur à patre, & filio.

Ut autem ostendatur quod simul, & eadem spiratione Spiritus Sanctus à patre spiratur, & à filio; dicit Athanasius in prædicta epistola ad Serapionem, quod filius est conspirans patri, sic inquit: *Deus pater per Deum verbum non tamquam per organum, quod ab eis, sed per coessentialitatem suam essentiam vere vivente conspirante eorum, & deificum spiramen spirat, Deum plenum, & beatum Spiritum Sanctum.*

Quod est æternaliter à filio spiratus.

Ne quis autem dicat, quod spiratio ad processionem pertinet temporalem, exprimunt prædicti Doctores, quod Spiritus Sanctus sit æternaliter à filio spiratus. Dicit enim Athanasius in sermone Niceni Concilii, ex persona filii loquens: *Ut credat mundus à se essentialiter spiritum paraclytum, & æternaliter spiratum.* Item Cyrillus in Libro Thesaurorum: *Spiritum Sanctum à Christo æternaliter, & essentialiter credimus, & confitemur spiratum existere Deum.*

Quod de essentia filii spiratur Spiritus Sanctus.

Ad hoc etiam facit quod in eisdem auctoritatibus continetur, quod de essentia filii spiratur Spiritus Sanctus. Dicit enim Athanasius in sermone Niceni Concilii: *De essentia ipsius verbi adoramus spiritum, tamen spiritum coæternaliter spiratum Deum;* & in eodem: *Deus ex sua essentia spiravit Spiritum Sanctum;* & in epistola ad Serapionem: *Hæretici à filio sunt exheredati, quia ab ejus essentia essentialiter Deum spiratum non recipiunt Spiritum Sanctum;* & in eadem quasi exponens quod dicit: *ex sua essentia, id est ex essentia, sic dicit: Filius natus à patre in se patris naturam tenens, eundem nomen non paternitatis, sed communicabilitatis cum ordine nature servavit, ut ex se sua essentia non filium gignitive, sed spiritum sibi per omnia æqualem Deum, & coæternum spiraret;* & hoc quidem multoties ex verbis ejus habetur. Ex quo patet quod cum dicitur Spiritus Sanctus spiratus esse à filio, non potest referri ad processionem temporalem tantum, sed ad æternam, secundum quam Spiritus Sanctus à filio essentiam divinam accepit.

Quod Spiritus Sanctus emanat à filio.

Habetur etiam ex auctoritatibus eorundem Doctorum processio Spiritus Sancti à filio sub verbo emanationis. Dicit enim Athanasius in prædicta epistola ad Serapionem: *A verbo vivente spiritus vivens*

emanans, & à forti virtus indeficiens desuper effunditur Ecclesie. Item Theodorius super epistola ad Ephesios: *Spiritus Sanctus de sursum emanat à Christo, & sine invidia datur omnibus accipientibus.*

Quod Spiritus Sanctus profluit à filio, & quod ab æterno.

Ut autem prædicti Doctores ad processionem Spiritus Sancti à filio ostendam, verbo profusus. Dicit enim Athanasius in sermone Niceni Concilii, ex persona Christi loquens: *Mitro Apostolos in mundum non in virtute hominis, sed in virtute Spiritus Sancti ex mea usia profluentis;* & in eodem sermone: *Si non ita credendum est de Spiritu Sancto, & prædicandum, quod sit veritas patris, & filii, coessentialis utrique, de essentia eorum profusus, quomodo in divo symbolo salutiferi baptismatis Salvator Deus filius sibi, & patri cooperanti salutem nostram connumerat;* & in epistola ad Serapionem dicit: *Spiritus Sanctus coessentialis patri filium, cujus ipse erat spiritus, & eidem coessentialis, ipse tamquam de essentia ejus profusus Deus, per Patres Nicænos credi, & prædicari fecit;* Et Cyrillus dicit in Libro Thesaurorum: *Quando Spiritus Sanctus in nobis effunditur, configuratos demonstrat nos Deo: profluit enim à patre, & filio.* Ex quo etiam habetur quod Spiritus Sanctus ab æterno est à filio tamquam ab ipso essentiam habens.

Item quod filius deoriginat Spiritum Sanctum.

Ex auctoritatibus eorundem etiam habetur quod filius deoriginat Spiritum Sanctum. Dicit enim Athanasius in sermone Niceni Concilii, quod ipse filius ex se naturaliter, & coessentialiter ut est Deus, deoriginat spirando spiritum; & in epistola ad Serapionem dicit, quod filius in spiritu à se deoriginat naturaliter operatur tamquam in sua propria virtute. Quod non videtur convenienter ad temporalem processionem posse trahi: nam ab illo deoriginatur aliquis à quo habet suum esse, deoriginare enim est originem alicui dare.

Quod filius est auctor Spiritus Sancti.

Habetur etiam à prædictis Doctoribus quod filius sit auctor Spiritus Sancti. Dicit enim Athanasius in epistola ad Serapionem: *Apostolus qui in eo operatur spiritus, & efficit, filio auctori ejus attribuit, sicut & filius que ipse facit opera, suo auctori Deo patri attribuit.* Auctoritas autem in divinis personis unius ad alteram non est nisi secundum quod æternaliter una est ab alia. Est ergo Spiritus Sanctus æternaliter à filio.

Item quod filius est principium Spiritus Sancti.

Habetur etiam in prædictis auctoritatibus quod filius sit principium Spiritus Sancti. Dicit enim Gregorius Nazianzenis in sermone Concilii Constantinopolitani: *Necessarium est credere sanctam Trinitatem, patrem scilicet sine principio, filium vero principium à patre principio, Spiritum autem Sanctum cum principio filii unum Deum esse per omnia, & super omnia.* Pater autem per hoc est principium filii quod filius est ab eo æternaliter. Spiritus ergo Sanctus æternaliter est à filio.

Item

Item quod filius sit fons Spiritus Sancti.

Habetur etiam ex auctoritatibus eorum quod filius sit fons Spiritus Sancti. Dicit enim Athanasius in sermone Niceni Concilii: *Sic spiritus est in filio, sicut fluvius est in fonte: & filius est in patre sicut splendor in sole gloria per naturam: sic per gratiam Spiritus Sancti electi sunt in patre, & filio;* & in epistola ad Serapionem dicit: *Est equidem filius apud patrem fons, & lux; cujus fontis, & lucis Spiritus Sanctus est verus fluvius, & splendor æternæ gloriæ;* & in eadem epistola dicit: *Non enim Spiritus Sanctus operatur in Deo Christo verbo suo, scilicet naturali fonte; & infra: Filius & fons Spiritus Sancti, utrumque in se continet, patrem scilicet, & spiritum, quorum ipse medium ordinem tenet;* & idem Athanasius in sermone de incarnatione verbi dicit: *David psallit dicens: Quoniam apud te est fons vite: quoniam equidem apud patrem filius est fons Spiritus Sancti.* Ex quo etiam habetur quod filius sit principium Spiritus Sancti sicut à se æternaliter existens.

Conclusio ex omnibus, quod Spiritus Sanctus procedit à filio.

Volunt autem quidam adversarii veritatis post tota testimonia, veræ fidei confessioni resistere dicentes, quod Spiritus Sanctus quamvis probatur esse, existere, spirari, emanare, & profuere à filio, non tamen est concedendum quod à filio procedat. Hoc enim in nulla præmissarum auctoritatum continetur; neque etiam in auctoritate sacræ Scripture, quæ Spiritum Sanctum à patre dicit procedere, patri in hoc filium non adjuvens, cum dicitur Joanni. xv. 26. *Cum venerit paraclytus, quem ego mittam vobis à patre, spiritum veritatis, qui à patre procedit.* Ostendendum est ergo quod ex præmissis de necessitate sequitur quod Spiritus Sanctus procedat à filio.

Verbum enim processionis inter omnia quæ ad originem pertinent, magis invenitur esse commune, & minus modum originis determinare. Quicquid enim quocumque modo est ab aliquo, secundum consuetum modum loquendi ab ipso procedere dicimus; si ve sit ab eo naturaliter, sicut Petrus dicitur à suo patre processisse, seu emanasse, sicut spiramen procedit à spirante, seu effluxisse, sicut fluvius procedit à fonte; sive artificialiter, sicut domus procedit ab artifice; seu localiter tantum, sicut sponsus dicitur de thalamo procedens. Non autem quicquid est ab alio quocumque modo, potest dici spirari, vel generari, vel fluere, vel mitti. Et propter hoc, verbum processionis etiam origini divinarum personarum est maxime accommodatum: quia, sicut supra dictum est, divina per communia melius quam per specialia designantur. Ex quocumque ergo eorum quæ sunt ostensa, scilicet quod Spiritus Sanctus existit à filio, vel fluit, vel spiratur, vel emanat, de necessitate concluditur, quod Spiritus Sanctus à filio procedat.

Quod idem est in divinis personis profuere, & procedere.

Item Cyrillus in expositione Niceni Symboli dicit: *Coessentialis est spiritus patri, & filio, & profluit, hoc est procedit tamquam à fonte, ex Deo & patre.* Ex quo habetur quod idem est in divinis personis profuere, & procedere. Spiritus autem Sanctus profluit à filio, ut supra ostensum est. Ergo à filio procedit.

Hoc autem magis confirmatur ex hoc quod in epistola Nestorio directæ dicit, quod Christus est veritas, & Spiritus Sanctus profluit ab eo sicut ex Deo & patre. Si ergo idem est ipsum profuere à patre quod procedere, etiam per hoc quod à filio profluit, ostenditur ab eodem procedens. Item Gregorius Nazianzenus in sermone de Epiphania: *Spiritus Sanctus unde est, unde procedit.* Est autem à filio, sicut probatum est. A filio ergo procedit. Item Cyrillus dicit super Joëlem: *Spiritus Sanctus est proprius ipsius Christi, & in ipso, & ex ipso, quemadmodum & ab ipso intelligitur Deo & patre.* Et Maximus Monachus in sermone de candelabro, & septem lucernis: *Spiritus Sanctus quemadmodum per naturam existit à Deo Patre secundam essentiam, sic & à filio secundam naturam, & essentiam existit veraciter, tamquam ex patre per filium procedat Deus; intelligitur autem, & est ex patre sicut ab ipso procedens.* Item Athanasius dicit in epistola ad Serapionem: *Quemadmodum filius se habet ad patrem ordine nature, ita & Spiritus Sanctus se habet ad filium;* & in eadem epistola dicit, ex persona filii loquens: *Eundem ordinem, & eandem naturam habet spiritus ad me filium, ut sit Deus de Deo, quem ordinem, & quam naturam habeo ego ad patrem, ut sim Deus de Deo.* Item Basilus contra Eunomium: *Sicut filius se habet ad patrem, eodem modo Spiritus Sanctus se habet ad filium.* Filius autem hoc modo se habet ad patrem sicut ab eo procedens: dicit enim filius Joan. vii. 11. *Ego ex Deo processi, & veni.* Ergo & Spiritus Sanctus procedit ex filio. Sed & verbo ipso processionis vitur Epiphanius in Lib. de Trinitate dicens: *Secundum quem modum nemo novit patrem nisi filius, neque filium novit quis nisi pater, sic audio dicere, neque Spiritum Sanctum novit quis, nisi pater, & filius, à quo accipit, & à quo procedit;* & Athanasius in Symbolo dicit: *Spiritus Sanctus à patre, & filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.*

Quod ad ostendendum processionem Spiritus Sancti, eisdem rationibus utantur Græci, & Latini Doctores.

Considerandum est etiam, quod eisdem rationibus utantur Doctores Græcorum, ad ostendendum processionem Spiritus Sancti à filio, quibus & utuntur Latini Doctores. Argumentatur enim Anselmus in Lib. de processione Spiritus Sancti ad ostendam processionem Spiritus Sancti ex hoc quod pater, & filius sunt unius essentia. Ex quo sequitur quod pater, & filius non differant ab invicem nisi in hoc quod hic est pater, ille filius. Habere autem Spiritum Sanctum ex se procedentem non pertinet ad rationem paternitatis, neque ad rationem filiationis. Non enim ex hoc pater dicitur pater, quia Spiritus Sanctus ab eo procedit; neque filiationi repugnat quod habeat ex se spiritum procedentem. Relinquitur ergo quod habeat ex se spiritum procedentem, est commune patri, & filio. Et similiter Athanasius in Teca super Joannem sic argumentatur: *Ex quo filius omnia que patris sunt, essentialiter habet, habet & spiritum;* & Cyrillus dicit in Lib. Thesaurorum: *Vere spiritum Christi, & spiritum patris Apostolus dicit esse unum, & non plures; quoniam omnia que sunt patris, veraciter & proprie transeunt secundam naturam in vero filio.* Ex hoc autem patet quod cum dicitur in Evangelio, Spiritum Sanctum à patre procedere, datur intelligi quod procedat à filio, licet in Evangelio non addatur. Ea enim que essentialiter dicuntur

cuntur de patre, & filio, dicta de patre, oportet quod intelligatur de filio, etiam si cum exclusione dicantur; sicut cum dicitur Joan. xvii. 3. *Ut cognoscant te solum Deum verum; & I. Timot. vi. 15. Quem, scilicet Christum, suis temporibus ostendit beatus & solus potens Rex regum, & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem.* Intelliguntur enim huiusmodi & de filio verificari ea ratione, quia filius, & pater secundum essentialiter unum sunt, secundum quod dicitur Joann. x. 30. *Ego, & pater unum sumus.* Cum igitur habere spiritum ex se procedentem, sit commune patri, & filio, sicut ea que dicuntur essentialiter, ut ex dictis patet; cum dicitur in Evangelio, Spiritum Sanctum a patre procedere, intelligendum est quod procedat a filio. Eadem ratione cum in Symbolo a Patribus edito dictum est, quod Spiritus Sanctus procedat a patre, intelligi oportet quod procedat & a filio; sicut cum de patre in eodem Symbolo dicitur, quod sit omnipotens, visibilium, & invisibilium factor, oportet quod & de filio intelligatur.

Quod Spiritus Sanctus distinguitur a filio per hoc quod est ab eo.

Ostenditur etiam ex dictis doctorum Patrum quod Spiritus Sanctus a filio distinguitur per hoc quod ab eo est. Dicit enim Gregorius Nyssenus: *Dogmata facientes de Deitate, immutabilem esse naturam divinam confiterentur; sed differentiam que est secundum causam, & causatum, non negant;* id est, secundum principium, & quod est de principio, ut supra expositum est; & postea subdit: *Item aliam differentiam intelligimus: unum nempe propinquum ex primo, scilicet filium ex patre, alium autem ex propinquo, & ex primo, scilicet spiritum ex filio, & ex patre.* Patet ergo quod per primam differentiam Spiritus Sanctus, & filius a patre distinguuntur; per secundam autem distinguitur Spiritus Sanctus a filio, quia scilicet filius a patre procedit, non per spiritum, sed Spiritus Sanctus per filium. Sicut & Ricardus, de S. Viêt. in V. de Trinitate ostendit duarum processionum differentiam per hoc quod filius procedit ab uno tantum, Spiritus vero Sanctus a duobus. Relinquitur ergo secundum utriusque sententiam quod filius & Spiritus Sanctus ab invicem non distinguerentur, si unus ab alio non esset.

Quod oportet distinctionem personarum esse secundum aliquem ordinem naturæ.

Item distinctio personarum oportet quod sit secundum aliquem ordinem, qui est ordo naturæ, ut Augustinus dicit. Unde & ordinem personarum distinctarum Athanasius in epistola ad Serapionem catenæ assimilat, dicens: *Equidem sicut qui caput catenæ trahit, medium, & aliam extremitatem trahit; sic & qui in spiritum blasphemat, scilicet tertiam personam, & in filium medium, & in patrem extremum, id est principium caput catenæ tertii discreti inconfusi ordinis divini blasphemat: sicut & e converso qui spiritum credit, & recipit Deum, recipit & filium ejus, a quo est, sicut qui tenet unum caput catenæ: ad se trahens, medium ejus tenet, & per medium aliud caput apprehendit; & propter hoc etiam in eadem epistola idem dicit, quod spiritum paralytium dicitur terminum beati, & supernaturalis divini ordinis, &*

(1) Al. Deo.

quod infallibiliter terminat proprium finem in se sua hypostasi, sicut & pater tenet ipsius ordinis caput, & fontale principium imprincipiatis ipse. Medium autem extremitatum ordinis veraciter tenet filius inter patrem & Spiritum Sanctum. Et paulo post: *Pater a se principio trini ordinis divini per medium filium genuit terminat ipsius ordinis finem naturali proprietate in tertio spirato spiritu.* Cyrillus etiam dicit in Lib. Thesaurorum Spiritum Sanctum a filio secundum naturam existentem, & ab ipso ad creaturam missum, renovationem Ecclesie operantem, & terminum sanctæ Trinitatis existentem; & concludit: *Si hoc ita est, Deus ergo ex Deo filio Spiritus Sanctus est.* Si enim Spiritus Sanctus non esset a filio, non magis Spiritus Sanctus esset terminus Trinitatis quam filius, nec ordo Trinitatis assimilaretur catenæ, sed magis triangulo. Hanc etiam rationem tangit Ricardus de S. Viêt. in IV. de Trinitate ubi ostendit, quod in divinis personis non potest esse nisi una sola persona, a qua non procedat divina persona, nec etiam possunt esse due persone que sint ab una sola persona. Utrumque enim prædicto ordini, qui in divinis personis attenditur, repugnaret; quorum tamen utrumque oportet poni, si Spiritus Sanctus a filio non procederet. Hunc etiam personarum divinarum ordinem Cyrillus in Lib. Thesaurorum ostendit sub alia similitudine ex auctoritate sacre Scripture assumpta, que Spiritum Sanctum digitum Dei nominat in Evangelio, cum dicit: *Si in digito Dei ejicio dæmonia: loco cujus in alio Evangelio dicitur: Si in spiritu Dei &c.* Filius autem dicitur brachium patris: Isa. li. *Indure fortitudinem brachium Domini.* Dicit ergo: *Sicut brachium, & manus naturaliter a corpore unatum, & propagatum existit, & a manu naturaliter fluit digitus; ita & de patre naturaliter filius brachium, & manus ejus generatæ a Deo oriuntur, Deus de Deo, & ab ipso filio tamquam a naturali manu patris naturaliter producitur profluens Spiritus Sanctus (1) Deus digitus.* Concludi ergo potest, quod Spiritus Sanctus sit a filio per rationes uniformiter a Doctoribus Latinis, & Græcis prolatas.

Quod credere Spiritum Sanctum esse a filio, est de necessitate salutis.

Quia vero inter disputantes plerumque contradictio accidit circa aliqua que non sunt de necessitate salutis, ne aliquis opinetur non esse de necessitate fidei, per quam salvamur, credere Spiritum Sanctum esse a filio; ostendendum est per auctoritates Doctorum Græcorum, hoc esse de necessitate fidei, & salutis. Dicit enim Athanasius in epistola ad Serapionem: *Iuxta quod mandat Apostolus: Hæreticum hominem post primam & secundam correctionem devota. Etiam si quos videris cum Elia volantes per aera, & cum Petro, & Moysæ sicco pede calcantes maria; nisi Spiritum Sanctum profiteantur Deum essentialiter ex Deo filio existentem, sicut & filium naturaliter Deum genitum æternaliter ex Deo patre existentem, ut nos profiteamur; eos non recipias.* Et iterum: *Blasphemantibus, & negantibus Spiritum Sanctum Deum esse de natura Dei filii, non communices.* Item Cyrillus dicit in libro Thesaurorum: *Necessarium salutis nostræ est confiteri Spiritum Sanctum de essentia filii existere, tamquam ex ipso secundum naturam existentem.* Item Epiphanius in libro de Trinitate. *Te ipsum alienas a gratia Dei, cum non recipis a patre filium, neque Spiritum*

Sanctum a patre, & filio dicis. Patet igitur quod nullo modo sunt tolerandi qui Spiritum Sanctum a filio procedere negant.

Quod Pontifex Romanus est primus & maximus inter omnes Episcopos.

Similis autem error est dicentium Christi Vicarium, Romanæ Ecclesie Pontificem, non habere universalis Ecclesie primatum, errori dicentium, Spiritum Sanctum a filio non procedere. Ipse enim Christus Dei filius suam Ecclesiam consecrat, & sibi consignat Spiritum Sancto quasi suo charactere, & sigillo, ut ex supra positis auctoritatibus manifeste habetur. Et similiter Christi Vicarius suo primatu, & providentia universam Ecclesiam tamquam fidelis minister Christo subiectam conservat. Ostendendum est ergo ex auctoritatibus Græcorum Doctorum, prædictum Christi Vicarium in totam Ecclesiam Christi potestatis plenitudinem continere. Quod enim Romanus Pontifex successor Petri, & Christi Vicarius, sit primus & maximus omnium Episcoporum, canon Concilii expresse ostendit, videlicet: *Veneramus secundum Scripturas, & canonum definitionem sanctissimum antiquæ Romæ Episcopum, primum esse & maximum omnium Episcoporum.* Hoc autem auctoritati consonat sacre Scripture, que inter Apostolos Petro attribuit primum locum tam in Evangelio, quam in actibus Apostolorum. Unde dicit Chrysostomus super Math. super illud: *Accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Quis major est in regno cælorum? quia, quoddam humanum scandalum, non conceperunt; quod & in se occultare jam non poterant, & tumorem cordis non sustinebant; in eo quod videbant Petrum sibi præferri, & præbentur.*

Quod idem Pontifex in totam Ecclesiam Christi universalem prælationem habet.

Ostenditur etiam, quod prædictus Christi Vicarius in totam Ecclesiam Christi universalem prælationem obtinet. Legitur enim in Calchedonensi Concilio, quod tota Synodus clamavit Leoni Patri: *Leo sanctissimus, apostolicus, & æcumenicus, id est universalis, Patriarcha per multos annos vivat.* (1) Et Chrysostomus super Math. *Filius, que patris est, & ipsius filii, potestatem Petro ubique terrarum concessit, & homini mortali omnium que in cælo sunt, dedit auctoritatem, dando eidem claves ad hoc ut Ecclesiam ubique terrarum amplifiet; & super Joann. in homil. lxxxv. Jacobum localiter in loco terminat, Petrum autem totius orbis ordinat magistrum, & Doctorem: item super actus Apostolorum: Petrus a filio super omnes qui filii sunt, potestatem accepit, non ut Moyses in gente una, sed in universo orbe.* Hoc etiam trahitur ex auctoritate sacre Scripture: nam Petro indistincte oves suas Christus commisit, dicens, Joan. ult. 17. *Pasce oves meas; & Joann. x. 16. (2) Ut sit unum ovile, & unus pastor.*

Quod idem habet in Ecclesia potestatis plenitudinem.

Habetur etiam ex prædictorum Doctorum auctoritatibus quod Romanus Pontifex habet in Ecclesia plenitudinem potestatis. Dicit Cyrillus Pa-

(1) Hac de acclamatione vide superiorem Admonitionem &c. (2) Al. iterum ab eo. (4) Al. recipient.

triarcha Alexandrinus in Libro Thesaurorum: *Sicut Christus accepit a patre dux, & scripturam Ecclesie gentium ex Israel egraderis super omnem principatum, & potestatem, super omne quodcumque est, ut ei cuncta carcerentur, plenissimam potestatem; sic & Petro, & ejus successoribus plenissime commisit; & etiam: Nulli alii quam Petro Christus quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit; & infra: Pater Christi humanitas est, scilicet ipse homo, cui tota æternitas plenissimum dedit potestatem; quem unus trium assumpsit in unate persona, transiit ad patrem super omnem principatum, & potestatem, ut adoret eum omnes Angli Dei; quem totum dimisit per sacramentum, & potestatem Petro, & Ecclesie ejus.* Et Chrysostomus dicit ad consula Bulgægarorum, ex persona Christi loquens: *Ter te interrogo, an ames, an ames, an diligas, quia ter me tropidus, & timidus negasti. Nunc autem reducitur, ne cedant te fratres gratiam, & clarum auctoritatem amississe, quia amas me, coram ipis tibi jam confirmo quod meum est plenum.* Hoc etiam trahitur ex auctoritate Scripture: nam Dominus Matth. xvi. 19. universaliter Petro dixit: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.*

Quod in eadem potestate que collata est Petro a Christo.

Ostenditur etiam, quod Petrus sit Christi Vicarius, & Romanus Pontifex Petri successor, in eadem potestate ei a Christo collata. Dicit enim canon Concilii Calchedonensis: *Si quis Episcopum prædicat infamiam, liberam habeat sententiam appellandi beatissimum Episcopum antiquæ Romæ: quia habemus Petrum patrem refugium, & ipsi soli libera potestate loco Dei sui discernendi Episcopi criminati infamiam secundum claves a Domino sibi datas; & infra: Et omnia ab eo distincta (3) insistent tamquam a Vicario apostolici throni.* Item Cyrillus Hierosolymitanus Patriarcha dicit ex persona Christi loquens: *Tu cum patris, & ego sine fine, cum omnibus quos loco tui ponam, plene & perfecte sacramento, & auctoritate cum eis ero sicut sum & tecum.* Et Cyrillus in Libro Thesaurorum dicit, quod Apostolus in Evangelio, & epistolis affirmaverunt in omni doctrina Petrum esse loco Dei, & eius Ecclesiam, eidem dantes locum in omni capitulo, & synagoga, in omni electione, & affirmatione; & infra: *Cui, scilicet Petro, omnes jure divino capite inclinant, & primates mundi tamquam ipsi Domino Jesu obediunt.* Et Chrysostomus dicit ex persona filii loquens: *Pasce oves meas; id est loco mei præpositus esto fraterum.*

Quod ad eum pertinet determinare que sunt fidei.

Ostenditur etiam quod ad dictum Pontificem pertinet que fidei sunt, determinare. Dicit enim Cyrillus in Libro Thesaurorum: *Ut membra maneamus in capite nostro apostolico throno Romanorum Pontificum, a quo nostrum est querere quid credere, & quid tenere debemus.* Item Maximus in epistola Orientalibus directæ dicit: *Omnes fines orbis qui Dominum sincere receperunt, & ubique terrarum Catholici veram fidem confitentur, in Ecclesiam Romanorum tamquam in Solem respiciunt, & ex ipsa lumen catholice, & apostolice fidei (4) recipiunt; nec immerito; nam Petrus legitur primo perfectam fidem esse confessus, Dominum revolante, cum dixit Matth. xvi. Tu es Christus filius Dei.*

(1) Hac de acclamatione vide superiorem Admonitionem &c. (2) Al. iterum ab eo. (4) Al. recipient.

Dei vivi. Unde et eadem Dominus ait: Ego pro te rogavi Patre, ut non deiciat fides tua.

Patet etiam quod ipse Patriarchis prælati existat ex hoc quod Cyrillus dicit, quod *ipsius*, scilicet, apostolici throni Romanorum Pontificum, *solus est reprehendere, corrigere, statuere, solvere, disponere, et loco illius ligare qui ipsius adificavit.* Et Chrysostomus super Acta Apostolorum dicit, quod *Petrus est vortex sanctissimus beati apostolici throni, pastor bonus.* Item etiam hoc patet ex auctoritate Domini dicentis, Luc. 22. 32. *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

Ostenditur etiam, quod subesse Romano Pontifici, sit de necessitate salutis. Dicit enim Cyrillus in Libro Thesaurorum: *Itaque fratres, sic Christum imitamur, ut ipsius ovis vocem ipsius audiamus, manentes in Ecclesia Petri; et non insequeremur vento superbie, ne forte tortuosus serpens propter nostram contentionem nos eiciat, ut Evam olim de paradiso.* Et Maximus in epistola Orientalibus directa dicit: *Coadunata, et fundata super petram confessionis Petri dicimus universalem Ecclesiam secundam diffinitionem Salvatoris, in qua necessario salutis animarum nostrarum est remanere, et ei est obedire, suam servantes fidem, et confessionem.*

Sicut autem prædicti errantes contra unitatem corporis mystici peccant, Romani Pontificis potestatem plenariam abnegantes; sic contra puritatem sacri corporis Christi delinquant, dicentes, ex azymo pane corpus Christi consecrari non posse: quod in Græcorum Doctorum auctoritatibus improbat. Dicit enim Chrysostomus super illud Evangelium: *Prima die azymorum: Primam diem dicit diem Jovis, in qua incipiebant legis cultores pascha celebrare, id est azyma comedere omni expulso fermento. Dominus ergo mittit discipulos suos die Jovis, quam dicit Evangelista primam diem azymorum, in qua ad vespas Salvator comedit pascha. In quo factio etiam per omnia apertissime demonstravit à principio suæ circumcisionis usque ad extremum diem pascha, quod non erat contrarius divinarum legum. Patet autem quod esset contrarius, si fermentato pane usus fuisset. Patet ergo quod Christus in institutione hujus sacramenti ex pane azymo corpus suum consecravit.*

Sciendum tamen, quod quidam dicunt Christum prævenisse diem azymorum propter passionem imminentem, et tunc fermentato eum usum fuisse. Quod quidem ostendere nituntur ex duobus. Primo ex hoc quod dicit Joann. 13. 1. quod ante diem festum pasche Dominus cum discipulis cenam celebravit, in qua corpus suum consecravit, sicut Apostolus tradit I. Corinth. 11. Unde videtur quod Christus cenam celebravit ante diem azymorum, & sic in consecratione sui corporis usus fuerit pane fermentato. Hoc etiam confirmare volunt per hoc quod habetur Joann. 13. 1. quod feria sexta, qua Christus crucifixus est, Judæi non intraverunt pratorium Pilati, ut non contaminarentur, sed manducarent pascha. Pascha autem dicitur azyma. Ergo concludunt, quod cena fuit celebrata ante azyma.

Ad hoc autem responderi Chrysostomus super Joannem super illud: *Non contaminarentur &c.* Quid est hoc dicere, nisi quia in alia die comederunt pascha, et legem solvantur, ut pessimum animi sui adimplerent desiderium in morte Christi? Christus autem non præterit tempore pasche diem sanctum Jovis, sed in ipso pascha comedit.

(1) Al. sicut Dominus.

Sed quia hoc non constat, melius potest dici, quod

(1) Dominus mandat Exod. 13. testum azymorum septem diebus celebrari, inter quas dies prima erat sancta, atque solemnissimè præcipere inter alias, quæ erant quintadecima die mensis. Sed quia apud Judæos sollemnitates à præcedenti vespere incipiunt, idem quatuordecima die ad vespas incipiunt comedere azyma, & comedebat per septem subsequentes dies. Et ideo dicitur in eodem capitulo: *Primo mense quatuordecima die mensis ad vespas comeditis azyma usque ad diem vicesimam primam ejusdem mensis ad vespas: septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris.* Et eadem quatuordecima die ad vespas immolabatur agnus paschalis. Prima ergo dies azymorum à tribus Evangelistis, Mattheo, Marco, & Luca, dicitur quatuordecima dies mensis, quia ad vespas comedeatur azyma, & tunc immolabatur pascha, id est agnus paschalis; & hoc erat, secundum Joannem, ante diem festum pasche, id est ante quintumdecimum diem mensis, qui erat solemnior inter omnes, in quo Judæi volebant comedere pascha, id est panes azymos paschales, & etiam agnum paschalem.

Et sic nulla discordia inter Evangelistas existente, planum est quod Christus ex pane azymo corporis suum consecravit in cena. Hoc etiam patet quod magis congruit puritati corporis mystici, id est Ecclesie, quæ in hoc sacramento figuratur. Unde dicit Gregorius Nazianzenus de pascha Domini: *Celebramus Domino festum in júbilo, non in fermento veteri malitie, et nequitie, sed in azymis sinceritatis, et veritatis.*

Non autem propter hoc intendimus quod ex fermentato hoc sacramentum confici non possit. Dicit enim Gregorius Papa in Registro: *Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem, sed cetera Ecclesia offerunt fermentatum, pro eo quod verbum patris inditum est carne, et est verus Deus, et verus homo. Item et fermentum commiscetur farina, et efficitur corpus Domini nostri Jesu Christi vivi.*

Quod est purgatorium, in quo purgantur anima à peccatis quæ non in vita præsentis purgantur.

Dimittitur autem virtus hujus sacramenti ab illi qui purgatorium negant post mortem. Nam in purgatorio existentibus præcipuum remedium in hoc sacramento confertur. Dicit enim Gregorius Nyssenus in sermone de defunctis: *Si aliquis in hac labili vita peccata purgare minus potuit, post transitum hinc per purgatorii ignis conflationem citius magis ac magis fidelis sponsa sponso dona, et hostias in passionis memoriam offert pro filiis quos ipsi sponso verbo, et sacramento rei præclare genuit, pena alacriter expeditur secundum quod prædicamus dogma veritatis servantes, ita et credimus. Item Theodorus Episcopus Cyrenensis super illud I. ad Corinth. 11. *Si cuius opus arserit &c.* sic dicit: *Dicit Apostolus, quod salvabitur sic tanquam per confutatorium ignem purgantem quicquid intervenit per incautam præteritam vitam ex pulvere salutem pedum terreni sensus: in quo tamen manet, quamdiu quicquid corpulentia, et terreni affectus inhæsit, purgetur: pro quo mater Ecclesia hostias, et dona pacifica devote offert; et sic per hoc mundus inde prius exitus, Domini Sabaoth purissimis oculis immaculatus assitit.**

Hæc sunt, Pater sanctissime, quæ ex auctoritatibus

bus Doctorum Græcorum secundum vestram jussio-nem excepti, & exponenda, & ad confirmationem veræ fidei inducenda. Inveniunt tamen inter prædictas auctoritates quædam indecentes expositiones interpositæ, sicut quod *logos* exponit translator fere ubique *sermonem mentalem*, cum secundum usum Scripturæ Latine convenientius exponeret verbum: & *hypostasim* exponit *essentialem personam*: quam expositionem sequens aliquando cogitur inconveniens dicere, sicut ubi dicit, *Deus Trinitus*, id est trinus essentialiter personalis: hoc enim est omnino erroneum, quod Deus sit essentialiter trinus. Sufficeret autem pro hypostasi transferre simpliciter personam. Sic enim utimur nomine *persona* in confessione fidei, sicut Græci nomine *hypostasis*, ut dicit Augustinus, licet non sit omnino eadem ratio significandi per nomen. Inducit etiam ad Ludem Sanctorum Patrum aliqua quæ modum puri hominis excedunt, aliquos nominans Patres fidei, quod solius Christi est, à quo secundum Apostolum ad Heb. 11. principium accipit fides enarrandi. Cæteri vero possunt dici Doctores, vel expositores fidei, non autem Patres. Inducit etiam in principio hujus libelli quædam auctoritates sacræ Scripturæ, quæ si nude

proferantur, non expresse probant processionem Spiritus Sancti à filio, sicut quod inducit: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Utiur etiam & ipse à quibus modis loquendi quos in auctoritatibus sanctorum Patrum invenit, qui, sicut superius dictum est, magis sunt reverendi, sicut quod in divinis personis sit primum, secundum, tertium, & causatum. In suis etiam expositionibus multis improprie verbis, & indecentibus utitur, sicut quod dicit, quod *filius habet proprietatem geminam inter patrem & spiritum*, ut dicam, subalternam per modum prædicandi. Prima se habet ad patrem tamquam subiectum ad prædicatum, & secunda ut prædicatum ad subjectum, & ita ad Spiritum Sanctum. Quod est omnino erroneum. Item dicit, quod *imago in Græco idem est quod entitas secunda*: quod omnino indecenter dicitur. Idem dicit, quod *imago non importat originem*: quod est contra Augustinum in Lib. LXXIIII. Quæstionum. Sunt autem fortassis & alia in prædicto libello quæ vel dubia esse possunt, & expositione indigent; sed quæ ad fidei assertionem utilia esse possent, ad ea quæ præmissa sunt, ut credo, omnia possunt reduci.

DIVI THOMÆ AQUINATIS, DECLARATIO QUORUMDAM ARTICULORUM

CONTRA GRÆCOS, ARMENOS, ET SARACENOS

ad Cantorem Antiochenum.

OPUSCULUM II. *

* Al. III.

CAPUT I.

Barus Petrus Apostolus, qui promissionem accepit à Domino ut super ejus confessione fundaretur Ecclesia, contra quam portæ inferorum prævalere non possent, ut contra hujusmodi portas interorum, Ecclesie sibi commissa fides inviolata persisteret, fideles Christi alloquitur dicens I. Pet. 11. 15. *Dominum Christum Sanctificato in cordibus vestris, scilicet per fidei firmitatem: quo fundamento in corde collocato contra omnes impugnationes, aut irrisiones infidelium tui esse poterimus: unde etiam subdit: *Parati ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis, est spe. Fides autem christiana principaliter consistit in confessione sanctæ Trinitatis, & specialiter gloriatur in cruce Domini nostri Jesu Christi. Nam verbum crucis, ut Paulus dicit I. Corinth. 1. 18. (1) etsi pereuntibus stultitia sit, his tamen qui salvati sunt, id est nobis, virtus Dei est. Spes etiam nostra in duo-**

bus consistit, scilicet in eo quod expectatur post mortem, & in auxilio Dei, quo in hac vita juvatur ad futuram beatitudinem per opera liberi arbitrii promerenda. Hæc ergo sunt quæ, ut tu asseris, ab infidelibus impugnantur, & irriduntur. Irrident enim Saraceni, cum Deus uxorem non habeat, & reputant nos insanos, quod tres personas confitemur in Deo, etiam per hoc existimantes nos tres deos profiteri. Irrident etiam quod Christianus Dei Filium pro salute humani generis dicimus crucifixum: quia si Deus omnipotens potuit absque Filii sui passionem genus humanum salvare, potuit sic instituire hominem ut peccare non posset. Improperant etiam Christianis, quod in altari comedunt Deum suum, & quod corpus Christi, si esset ita magnum sicut mons, jam deberet esse consumptum. Circa statum vero animarum post mortem asserit errare Græcos, & Armenos, dicentes, quod anime post mortem usque ad diem judicii nec ponuntur, nec præmiantur, sed sunt quasi in sequestro, quia nec penam, nec premium debent habere sine corpore. Et in sui erroris assertionem

(1) Vulgata *perentibus* quidam *stultitia* est.